



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Ea tamen reticentia occasionem postea dedit Bonifacio octavo
affirmandi collationem Beneficiorum non pertinere ad Philippum Pulcrum.
Sed is jus suum tuitus est allegata veteri consuetudine regni ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

& Imperij Lib. VIII. Cap. XXIV. 445

est hoc loco vocem *Regalia* heic novè accipi, pro custodia nimirum & usufructu omnium fructuum & reddituum provenientium interim dum sedes vacat: *Fruktus sive redditus provenientes vacationis tempore.*

V. *Dubitandum non est quin generali fructuum vocabulo comprehendenderetur etiam collatio Præbendarum, cùm juxta Alexandri tertij constitutionem, quaæ ante hoc Concilium edita est, collationes recenserentur in fructibus.* Sed tamen maluit Concilium jus illud extraordinarium verbis generalibus, quòd & ipsa validæ rationis loco esse possent, complecti quam illud dissentis verbis explicare. Neque enim probabile est eam fuisse patribus Concilij mentem, cùm hunc canonem conderent, ut collationes Præbendarum adimerent Principibus; cùm Innocentius tertius anno millesimo ducentesimo decimo, Clemens quartus anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, & Gregorius ipse decimus anno M C C L X X I. hujusmodi Præbendarum collationes à Regibus sede vacante factas approbaverint.

VI. *Hac tamen reticentia occasionem postea subministravit Bonifacio Papæ octavo de hoc jure controversiam movendi adversus Philippum Pulchrum Regem Francorum, cui scripsit Pontifex eos se pro haereticis habere qui contendebant collationem Beneficiorum, quòd spiritualia sint, fieri posse à laïca persona.* Verum Rex jus suum tuitus est allegata veteri consuetudine regni sui. Ioannes de Parisiis, temporis illius scriptor, ea occasione scripsit Tractatum de potestate papali & regia, in quo inter alia examinat quæstionem collationis Beneficiorum. Ait autem quòd cùm Ecclesia Patronis concederet jus præsentationis, contemplatione fundationis Beneficiorum, potuit, quoque ipsa ac debuit in gratiam insignium virorum connivere eorumdem Beneficiorum collationibus, velut vices rependens protectioni quam illi impertiuunt Ecclesiæ, & consideratione beneficiorum ab iis præfitorum Ecclesiis; præfertim cùm collatio ac præsentatio non sint propriæ res spirituales, sed tantum spirituibus connexæ per antecedentiam, ut ille loquitur. Significat autem eas antecedere exercitium spirituale & officium quod beneficiatus præstat Ecclesia. Nam licet Episcopo injuria fieri videatur cùm collatione quorundam Beneficiorum sede vacante vacantium privat, leve tamen illud datum majore commodo refarcitur, protectione nimirum & donationibus factis & in posterum faciendis in gratiam Ecclesiarum.

Ioan. Paris. de po-
tenti. reg. & pop.
c. 21.

Quod annexum est spiritualibus officiis per antecedentiam, ut præsentatio, vel collatio, seu jus conferendi, quia non sit dependet à spirituali, sed è converso, potest competere laico preicipue, & ex concessione Ecclesiæ, vel ex promissione, & ex longa consuetudine prescripta, potest Rex sibi jus acquirere, cùm sibi non repugnet. Infrā: Dicta consuetudo cùm non sit damna in ministris Ecclesiæ, sed in pluribus fructuosa, non prejudicat juri publico in genere, licet videatur prejudicare in specie. Nam licet videatur prejudicare Episcopis qui privantur collatione Beneficiorum que de jure communis debetur, tamen Ecclesia alii nō es hoc emolumen accipiens preponderans, ratione defensionis & donationis & fundationis. Et ideo non prejudicat simpliciter.

VII. In articulis Clementi Papæ quinto à Gulielmo de Nogareto oblatis adversus memoriam Bonifacij octavi, quam is damnari debere contendebat ob crimen haereseos, tria quædam proponuntur tanquam certa & manifesta adeoque nota ut nemo contradiceret. Primum enim assertur quamplurimas Ecclesiæ esse sub tutione Regis, in primis verò omnes Ecclesiæ cathedrales hujus regni; adeo ut si vis aliqua illis inferatur, Rex auctoritate sua resarciri damna proceret. Secundò, inter jura regia illud quoque recenseri, ad eum nempe pertinere usum-fructum omnium fructuum & redditum Ecclesiarum cathedralium vacantium, qui de sua Regalia existunt, donec novus Episcopus bona temporalia à Rege receperit, post præstitum videlicet juramentum fidelitatis aut homagium. Tum Ecclesiæ in quibus Rex fruitur hoc jure Regalia, fundatas fuisse à Regibus Francorum. Tertiò, Regem, sede vacante, conferre Præbendas, Dignitates, & Beneficia quoram collatio ad Episcopum pertinebat, etiamsi videntur in Curia Romana.

VIII. Porro cùm antiqua Parlamenti arresta jus regium consuetudine niti docuerint, illudque deinceps Concilium Lugdunense approbaverit cum hac modificatione, nullamque aliam ejus asserendi probabilem causam invenerint Doctores Parisienses quam vetustam consuetudinem ex æquitate profectam, mirum videri non debet si Reges qui primi leges in hac Regalium materia considerunt ad fori usum accommodatas, jus illud coercuerint ad Ecclesiæ in quibus receptum erat Regem eo jure uti. Ita enim anno M C C I I. edixit Philippus Pulcher: *Item, quantum ad Regalias, quas nos & nostri predecessores percipere assuevimus & habere in aliquibus Ecclesiæ regni nostri, quando eas vacare contingit.* Item Philippus Vale-

KK iiij